DE CONTAGIORUM THEORIA DISSERTATIO IGNATII OPOLEZKY CZECHI...

Ignaz Opolezky



DE CONTAGIORUM THEORIA

DISSERTATIO

29

Sel.

DE

CONTAGIORUM THEORIA

DISSERTATIO

IGNATII OPOLZKY

CZECHI KOBILNIKENSIS

Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
Et metus omnes et inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari,
VIRGIL.

PATAVII
Typis Franc. Cartallier
M. DCCC. XXXVI

ADALBERTO MARTERER

MEDICINAE DOCTORI ART. OBSTET. MAGISTRO

CHRISTIANI COMITIS A WALDSTEIN

MEDICO

INQUE OMNIBUS EJUSDEM DITIONIBUS PLENIPOTENTIARIO ETC.

VIRO INGENIO DOCTRINA HUMANITATE

NULLI SECUNDO

QUA PIAE VENERATIONIS AC GRATI ANIMI TESSERAM

SACRAS

ESSE VULT HASCE PAGELLAS

DEVOTISSIMUS AUCTOR.

Illustrissime Vir!

Opusculum hoc, quod legibus academicis obtemperans conscripsi, tibi dicandum arbitratus sum, ut illum, quo erga doctissimum deque me summopere meritum virum adficior, sensum publice manifestem. Humanitate confisus tua, spero fore, ut magis ad ingenuum offerentis

animum, quam ad porrecti munusculi praetium mentem convertas, atque exinde ut hoc, quod te indignum egomet ipse dijudico, aequi bonique facias. Quod siquidem acciderit inter dulcissima vitae meae tempora, et illam diem, qua laurum temporibus circumduxi, enumerabo.

Benevolo Lectori S.

Ad desideratissimam tandem studiorum medicorum metam quum pervenerimus, legibus perantiquae Academiae obtemperantes, dum peractorum laborum publicum in medium proferre deberemus testimonium, opusculum hoc qualecumque nostrum typis mandandum arbitrati sumus. Priusquam tamen Lector benignus ad illud perlegendum accedat, aliquid de caussa, qua ad argumentum De Contagiorum theoria prae caeteris eligendum impulsi fuerimus, eumdem monuisse juvabit.

Ne quis hinc credat nos in rebus medicis, theoriis, quae adsunt, jam exuberantibus, nostras de obscuriori argumento theoreticas ideas addere voluisse. Notum enim nobis est quam arduum quamque juvenilibus humeris impar habendum sit culto atque undequaque a doctissimis viris rimato argumento quidquam novi adjecisse, vel plane acceptis a medicinae summis magistris, systematibus, nova systemata substituere.

Ne itaque, ut illustris Theophili Hyacinthi Renati Laennec ipsissimis utamur verbis, per ignem incederemus suppositum cineri doloso, aut per carbones vel adhuc flagrantes, aptius duximus, quae de contagiis in celebratissimis medicinae operibus perlegimus in unum colle-

gisse, atque ad memoriam dato quodam ordine revocasse; ita ut, siquidem Lector benignus aliquid nobis honoris tribuere voluerit, id magis relate ad ordinem, quem sequendum arbitrati sumus, quam quoad ideas a nobis prolatas conferre cogatur.

Talibus itaque in animo defixis, contagiis ex eo operam dare suscepimus, quod nostris diebus terribilis per Europam morbus desaeviens, de cujus natura hucdum celebratissimi ambigunt Medici, nos saepe saepius, ad mentem in epidemiarum, atque contagiorum studium convertendam, impulerit; ad quem quidem laborem suscipiendum et animadvertisse incitavit, apud doctissimos Italos Medicos pene omnes, in diem increscentes, valde diversas ac apud natio-

nes Europae, quin immo universi culti terrarum orbis, alias adesse de contagiosis morbis theorias.

Ab auctoris gloria, (quod candide profitemur) omnino alienos nos pensum hoc per menses duos traxisse tantum ad novas notiones aquirendas credant omnes, qui ad hasce nostras pagellas perlegendas operam dabunt, depraecamur, illosque certos esse volumus nunquam nos, quae conscripseramus indigesta atque doctorum judicio sustinendo impatia, praelo mandasse, nisi necessitas ad id peragendum in tantu temporis angustiis et invitus nos induxisset.

Pauca quae forsan nova in opella hac reperientur, Lector aequi bonique faciat speramus. Sciunt enim cordatissimi in scientia viri, quod tyronis conatus semper sint incitandi atque

sustinendi. Errores vero, in quos incidere potuimus, magis imperitiae, quam bonae voluntati tribuendi sunt; nam debiles nostras vires ipsi ante omnes quidem dignoscimus. Atqui, si quidquid perficere concedebatur nos perfecisse Lector dijudicabit, sique id quod ingenue fassi sumus ipse eodem, ac nos, accipiet animi sensu, illum coeptis nostris adspirasse gloriabimur, atque dulcissimum nobis erit, opusculorum in diem increscentium farragini et nostrum hocce adjecisse.

Dabam Patavii Pridie Kal. Septembris 1836.

De Contagiorum theoria.



I.

Contagia, vel, utpote pathologi quidam dicunt, *Contagiones* potentiae sunt nocentes ad dynamicas referendae, quae ex morboso processu ortae, dum ad aliud, recte dispositum, individuum deferantur, omnino vel fere omnino analogum morbum gignere valent.

II.

Ideae, quas veteres de contagiis protulerant summopere obscurae sunt atque vagae, ita ut incerti haerere debeamus, utrum ipsi contagia noverint, utrumve tali ratione animadverterint ac nos animadvertimus, nec ne. Superstitiones enim ac errores plures in eorumdem studium apud

medicinae patres irrepserant, ita ut astrorum influxui, numinum irae, demonibus, atque venenatis quibusdam, ut ipsi vocabant, spiritibus originem morborum late per populationes grassantium tribuerent. Quod quidem firmari potest observatione scriptorum ipsius Omeri, qui sua in Iliade, pestem per Graecorum agmina, circa Trojam, desaevientem, ab iratis repetit Apollinis sagittis.

Verum quidem est Moysem legibus, quas in lepra vel blennorrhoea correptos instituerat, demonstrasse, morbos hosce ex aegrotantibus ad sanos migrare; atqui, utpote illustris Brera animadvertit, de contagiis nullam factam novimus mentionem in Hippocratis operibus, atque tantum, ex veterioribus medicis, Galenus per transennam aliquid in medium de contagionibus protulit (1).

Notiones itaque quae habentur primae solidiores de contagiosorum morborum historia instauratis debentur, post barbarorum per Romanum Imperium incursiones, scientiis. Inter illos vero, qui de hoc studio maxime promeruere, medici itali sunt Fracastorus atque Leonicenus, nec non aliarum nationum Sennertus, Diemerbroe-

(1) *Tucidides* nihilominus luculenter loquitur de contagiosa pestis Athenarum indole, utpote videre est suis in historiis; idem pariter asserunt *Anna Comnenus* de peste Bysanthina, atque italus *Joannes Bocaccio* de peste Florentiae, ab eisdem descriptis.

chius, atque magnus Sydenhamius. His accessit illustris Lancisius qui etsi de contagiis directe non pertractaverit, eorumdem cum infectionibus patefecit discrepantiam, atque statuit characteres quosdam, quibus nisi omnino, certe quodam sub adspectu, infectio a contagione distingui valet.

Cultus valdopere per celeberrimos tot viros medicinae campus subsequenti aevo plurimis disquisitionibus atque observationibus ansam praebuit, quibus factum est ut nuperiorum operibus contagiorum doctrina mirum in modum ad perfectiorem conditionem deduceretur; ex quo quidem minime est inferendum quod, quae ad contagia spectant cuncta, nitida fulgeant luce; quum ex adverso plura arctissimis obruantur tenebris atque pene insuperabilibus praemantur difficultatibus, *quas*, ut illustris pathologi sententiam ipsam proferamus, *discutere dabitur fortasse nemini* (1).

III.

Haud hinc inficias ibimus quod, quam de hisce morbis protulit primus illustris Fracastorus hypothesis (2), etsi subsequo medicorum de con-

(1) *Fanzago.* Institutiones pathologicae, Parte II. §. 171.
(2) De contagione etc.

tagionibus aedificio struendo fundamenta praebuerit, atque maxime ideas, quibus principia hygienis publicae innituntur, subministraverit, haud inficias ibimus, inquam, quod haec hypothesis absurda plura offerat, queis fit ut et ipsa erronea manca atque imperfecta sit dijudicanda.

Quorum absurdorum v. gr. exemplum subministrat propagatio quarumdam oculi inflammationum, per simplicem aegrotantium, ut ipse asserit, intuitum promovenda (Lib. I.).

Illam nihilominus, quum a pluribus adhuc acceptam noverimus, in medium protulisse juvabit, quaedam magis generalia contra eamdem adnotando, quae factis adversari videntur.

Retur itaque ipse quod morborum (1) per contagium diffusibilium propagatio ex viro specificae indolis promoveatur, quod per exhalationem ex infirmorum corporibus effluit, ac ad quamdam in aëre circumambienti distantiam diffunditur, intra quam aptum evadit ad analogum morbum alio in homine suscitandum.

Materies haec morbifica quibusdam corporibus adhaerere potest, quae eamdem per menses et annos plurimos intactam servare valent, ita ut ejusdem translatio ad remotissimas usque regiones tum et quando accidat.

---

(1) Hoc, quod de contagionibus in genere referimus, de morbis potissimum pestilentialibus tenendum est.

Corpora haec, quae affinitatem pro principiis praeseferunt contagiosis, *contumacia* ab ipso nuncupata, ab aliis distinguenda sunt, *non contumacia,* quibus nullo pacto contagiosa materies adhaerere consuescit.

Haud ad contagiosorum morborum, secus Fracastorum, propagationem influunt circumstantiae chosmico-telluricae diversae, juxta regiones diversas, varia anni tempora, atque epidemicam peculiarem constitutionem regnantem. Contagia enim nullo pacto, etiam maxime adversantibus in circumstantiis propagantur, dummodo summa diligentia, quicunque inter sanos atque aegros contactus, quaecumque communicatio impediantur.

Quo quidem illustris medici in systemate, etsi adhuc obscurum summopere sit in quo virus contagiosum consistat, etsi adhuc ambiguum intra quos limites haec contagionis in aegrotante sphaera statuenda sit; nulla ratione convenire possumus quod ad contagia propaganda symbolam et coeli, et terrae conditionis non conferant suam, quum hae mirum in modum populationis dispositionem permutare valeant, quumque eae ipse per se sat evadant ad morbos quosdam gignendos, qui semet propagandi facultate donantur.

IV.

Diximus superius (I) quod contagia ad dynamicas potentias nocentes sint referenda. Operae praetium hinc nos, priusquam ulterius progrediamur, arbitramur illos in medium proferre characteres, quibus a caeteris salutis adversantibus dynamicis agentibus distinguuntur.

Diversimode idcirco characteres ipsi a medicis theoreticis definiti sunt, ita ut quidam dijudicent quod ipsis attributa quaedam pertineant, quae eisdem ab aliis denegantur. Quidam tamen retur, inter caeteros admodum illustris Pathologus, quod ad contagium statuendum tres sequentes necesse sint conditiones.

1.° Quod ex morboso processu productum constituat.

2.° Quod organico habitu quodam instruatur.

3.° Quod diversis ejusdem ordinis corporibus adplicitum aptum evadat ad eumdem pathologicum processum, ex quo ortum desumpsit, in quibusdam saltem, generandum; scilicet, quod continuo semet multiplicare ac reproducere nitatur (1).

Talibus notis praedita nocens potentia, qua contagiosa haberi debet, id quod potissimum de

(1) *Hartmann*. Pathologia dynamica.

primo atque tertio charactere adfirmandum evadit. Fieri enim potest nt secundus quibusdam a medicis in dubium revocetur, vel saltem haud constans existimetur, quum juxta ipsos haud conspicuus sit habitus organicus nonnullis in contagiis, utpote in hydrophobia; at nullus unquam dubitabit quod ad morbosa producta contagiones sint referendae, quodque nocentes potentiae, quum semet reproducendi facultate careant, ad hanc aetiologicorum agentium tribum nullo pacto pertineant.

V.

Talibus statutis characteribus contagiorum, haud difficilis pensi plerumque erit distinctionem quamdam ponere inter ipsa atque caeteras potentias aetiologicas, quibuscum quamdam offerunt analogiam. Potentiae vero eae sequentes sunt:

1.° *Venena*, quae etsi a contagionibus indole sua non valde dissideant, perspicuum tamen discrimen offerunt in eo potissimum situm, quod propagandi sui facultate careant qua contagiones unicae pollent (1).

Alii characteres distinctionis inter venena at-

---

(1) *Fanzago* Instit. Pathol. Parte II. §. 211.

que contagia, qui nobis ab illustri proponuntur PUCCINOTTI (1), existunt, quos hic breviter enumerabimus.

a) Venena agunt etsi nullam inveniant dispositionem; contagia quin eamdem inveniant inefficacia evadunt.

b) Venena modificant organisationem, sed et ab organisatione modificantur valdopere; contagia e contra reproducuntur, atque raro modificata, nutritionem ex oeconomia detrahunt.

c) Contagia determinatae periodus morbos suscitant; quod a venenis minime producitur.

d) Venena quo majori agunt quantitate, eo minorem organicam inducunt perturbationem; dum contagiones quo majori sunt copia, eo majores producunt somaticas alterationes, utpote in variolis confluentibus videre est.

e) Contagia quin in sanguinem, utpote videtur, migrent, phaenomena edunt sibi propria; venena e contra et potentiora in sanguinis torrentem introducantur opportet, ut effectus edant exitiales sibi proprios, etc.

2.° *Effluvia putrescentia ex corporibus viventibus vel mortuis procedentia*, nec non *infectiones miasmaticae* quibus tum et quando atmosphaera imbuta deprehenditur, quae quidem

(1) Dei contagi spontanei, e delle potenze e mutazioni morbose credute atte a produrli nei corpi umani. Roma 1820.

morbum popularem gignere possunt exinde etiam per contagium late proserpentem, ast per se contagiosa minime depreheduntur. Relate tamen ad infectiones hasce candide cum Rochoux (1) confiteri debemus, quod limites quibus a contagiis distinguuntur, etsi theoretice facili negotio determinari valeant, in praxi, quidquid e contra Deveze dictitaverit, plurimas offerunt ambiguitates, quum ambae morbosae caussae, quae grassanti infirmitati ansam praebent, saepe simul uniantur ut genus adfectionum mixtum quodammodo efforment. Caveat tamen aliunde medicus ab opposita sententia, nec cum James arbitretur, nullam adesse inter contagiones atque miasmata discrepantiam.

Discrepantia vero haec in eo potissimum nobis sita videtur, quod, quum contagia eadem plures homines corripuerint, semper idem praeseferant productum, dum altera ex parte miasmata, in diversa agendo individua, dispares plerumque morbos inducere valeant. Semper enim ex humore vaccinae, si quid evolvitur, pustula vera vel spuria evolvitur vaccinica, dum miasmata eadem putrescentia ex paludibus, diversas in individualitates agentia, variis ansam infirmitatibus offerre valeant, quae exinde contagiosum characterem

(1) Dictionnaire des Sciences Medicales. Art. *Infection*.

assumere tum et quando equidem solent, utpote peticulis, typho contagioso, miliaribus etc.

VI.

Haud pariter difficile erit distinguere quibus notis a morbo contagioso morbus discrepet *Pandemicus*. Pandemicorum enim morborum origo ex conditionibus terrae, aquarum, aëris atque soli productorum a medicis, unanimi fere consensu, repetitur; quae quidem omnia tum et quando stricte temporis quibusdam intervallis addicta morbos *Epidemicos* constituunt, vel *Endemicos* (1) offerunt, si propria quarumdam definitarum regionum animadvertantur, relationemque magis ad spatium, quam ad tempus servent.

Verum quidem est quosdam medicinae scriptores adfirmasse, epidemiam originem habere posse ex translatione germinis cujusdam morbosi ex uno ad alia individua, scilicet ex contagio, eamque *epidemiae contagiosae* nomen sibi promereri. Atqui, ex magis antiquis medicinae temporibus semper dijudicatum est epidemicos, at-

(1) Recta hinc nobis, ni fallimur, videtur illa nominis substitutio, quam morbo epidemico in *Epichoreum* proposuit illustris ab *Hildenbrand*, ex ἐπὶ, χορίον; tali enim voce quod morbus ex conditionibus terrae regionis cujusdam proveniat, melius intelligimus

que endemicos morbos ex circumstantiis chosmico-telluricis atque maxime ex athmosphaera exordium desumere. Ex eo vero haud inficias ire volumus quod popularis late grassans infirmitas, quando ad acme intensitatis pervenerit, apta evadat ad novum edendum germen, quo fiat ut ex aegrotanti ad sanos homines migrare possit, atque semet propria forma reproducere. Hoc praeterea eo magis rationi evadit consentaneum admittere, quod, propter constitutionem epidemicam dominantem, individua populationis universae magis disposita inveniantur ad morbosam jam procreatam subeundam materiem late per contagium semet diffundentem.

Cum idea autem, quam nunc proferimus de epidemicis morbis contagio ansam praebentibus, convenire videtur, ni fallamur, sententia, quam sectantur relate ad febris flavae, aliorumque morborum analogae indolis propagationem Gasc atque Breslau, qui asserunt: *Febris flava endemica, atque sponte enata in regionibus quibus propria est, exinde extollitur ad characterem epidemicum, quumque magis ingravescat contagiosa etiam fieri potest. Quod pariter dicendum evadit de peste, de typho, atque de pluribus aliis infirmitatibus.*

Minime tamen ex eo deduci posse nobis videtur, quod contagiosa materies per se, absque epidemicae cujusdam convenientis constitutionis

772

influxu, apta evadere possit ad morbum late per populationem, epidemicorum more, grassantem, inducendum.

Qui enim constans est epidemiae character quod scilicet; *morbi individuales quibus constituitur, in decursu suo generatim sumpti, offerant phaenomenorum syndromem comunem analogam illi, quae propria est morbi ejusdem seorsim in individuo considerati (dummodo morbus ipse exitialis non sit)*, vel aliis verbis quod: *epidemia, pariter ac morbus quisvis ejusdem notae singillatim perpensus, diversa praesentet stadia, principii, incrementi, status, decrementi* etc. (1) in morbis per simplicem contagium late grassantibus omnino deficere cernitur.

Quis unquam in syphilide ex. gr., etsi late per populationem diffusa, characterem epidemicum animadvertit? Cui ignotum quod ipsa nullam cum chosmico-telluricis circumstantiis relationem servet, quodque nulli pareat terrae plagae, etsi valdopere dissitis physicis in circumstantiis? Ast, quamquam in magnis urbibus syphilitica labes haud parvam populationis quantitatem subeat, nullus, fere unquam, adfirmare ausus est inter pandemicos morbos eamdem esse referendam (2).

---

(1) *Schnurrer.*

(2) Hujusce opinionis tamen videntur Franco-galli quidam, qui inter endemicos morbos luem veneream enumerant; non tamen ii multis gloriantur sectatoribus.

VII.

Talibus hinc statutis inter contagiones ac caeteras potentias nocentes distinctionibus, nec non inter contagiosos morbos atque pandemicos discrepantiis, nunc facilius erit nobis viam sternere ad proprietates, queis contagia instructa sunt, detegendas.

Inter caeteros qui proprietates ipsas enumeravere, quorumque opera prae manibus habemus, arbitramur quod italus Rubini (1) exactius illas definiverit; ex quo fiet ut, ejusdem vestigia praementes, proprietates ipsas, paucis tantum additis, enumeremus, utque exinde, singulas easdem ad trutinam revocantes, aliquid, quod nobis mens suggessit, animadvertamus.

1. Ut contagia humanum adgrediantur organismum, necesse est ut dispositionem quamdam convenientem inveniant, quae diversa animadvertitur juxta diversa individua, quaeque dispositio fere vel plane nullam relationem cum hypersthenica, vel hyposthenica vitae conditione offerre videtur.

2. Processus morbosus, qui e contagioso in organismum principio inducitur, qualitativas potius

(1) Riflessioni sulle febri chiamate gialle, e sui contagi in genere. Parma 1805.

quam quantitativas parit mutationes; modificationes exinde a contagiis in irritamento positae, ut alterius itali pathologi utamur verbis, magis sunt *modales* quam *graduales*, eaeque phases percurrunt suas, etsi diversa sit conditio quantitativa vitalis processus.

3. Mutationes pathologicae, quae e contagiis in organismum ponuntur nulla ratione intercipi possunt nisi jam ex principio morbosum germen fuerit suffluminatum, vel ablata fuerit susceptibilitas vitalis, atque assimilatrix, quae ejusdem actionem persentit, permutata.

4. Contagia quaedam quum aliquando organismum corripuerint susceptibilitatem ejusdem destruunt ad ipsa iterum suscipienda, ita ut una tantum vice vita perdurante in individuo grassentur.

5. Contagia quaedam invicem semet excludunt; plura vero eodem tempore in organismo existere tum at quando equidem possunt, sed semper fere, quum cöexistant, invicem modificantur, perturbantur, nec eorumdem singuli processus, eodem tempore perfecte stadia percurrere solent sua.

6. Contagiosi morbi singuli formam propriam omnes offerunt, quae juxta ipsorum naturam diversa deprehenditur.

7. Idem dicendum pariter occurrit de tempore quo perdurant, quod varimode definitum, pro po-

tiori contagiorum parte, animadvertitur; idemque repeti debet de variis ipsorum stadiis invasionis, eruptionis etc.

8. Contagia tandem leges quasdam offerunt etiam quoad propagationem. Nonnulla enim homini propria sunt tantum, quaedam alia ex homine ad bruta, et viceversa nigrare possunt.

VIII.

Quoad primam proprietatem (1), *quod scilicet contagia organismum tantum adgrediantur quum dispositionem convenientem invenerint;* hoc verum reapse animdvertitur, etsi ignotum fere sit undenam indoles haec dispositionis sit repetenda.

Quis enim sat tutam explicationem exhibere poterit constantis illius facti, a pluribus scriptoribus relati; quod nempe Creoli Americae aequatoralis incolae, cum in Europam venerint, nunquam febri contagiosa typhoidea corripiantur, nisi post aliquod temporis sat longum intervallum, quod biennii plerumque explet duratio-

---

(1) *Rubini* tantum adfirmaverat quod contagia non exigant ad sui evolutionem *Brunonis* dispositionem; hinc veritatis gratia adnoto, me primum characterem potius ex *Brera* sumpsisse in suis de contagiis lectionibus.

776

nem? An ne aliquid rei attulerunt luminis illi qui dixere, quod per longiorem in Europam moram eorumdem organismus ita modificetur, ut illam, qua expers fuerat, tristem adquirat susceptibilitatem morbosam, quae ad contagium suscipiendum necesse est? Quum enim hoc asseruerint, petendum esset in quo haec consistat organismi modificatio, quum ipsa plane nostros lateat sensus?

Tali pariter ratione apud nostros observamus quod individua quaedam sint, quae statim ac principiorum per contagium semet diffundentium actioni se se exposuerint, contagione corripiuntur, dum individua alia e contra impune causae occasionali obviam eant, quin ab ipsa attingantur. Quot enim vicibus ex. gr. observatum est, pauca quaedam individua vagae veneri indulgentia, pluries coitum impurum exercere quin syphilide corripiantur, etsi hujusce phaenomeni nullam sat firmam explicationem in medium proferre possimus! Quid enim significat illa, quam pathologi pro caussa incusant, *idiosyncrasia*, quum ipsi confiteantur quod in quo consistat plane ignoretur (1)?

Quaedam tamen facta relate ad variam susce-

---

(1) *Id peculiari ipsorum constitutione, seu idiosyncrasia, ut ajunt, cujus causam frustra quaerimus, pendere aliquando potest.* Fanzago Path. Parte II. § 179.

ptibilitatem pro contagiosis principiis, diuturna medicorum experientia animadversa, agnoscuntur, quae potius in medium breviter afferre operae pretium arbitrabimur.

Aetas valdopere susceptibilitatem pro contagiis subeundis modificat, ita ut pueri facilius talibus infestentur morbis ac ii, qui provectiori in aetate constituti sunt; quod forsan non immerito quampluries ex faciliori cutis perspiratione sorbitioneque repetunt contagionum.

Mulieres quoque ob cutis laevitatem mollitudinemque contagionibus citius cedunt; et in viris ipsis, quorum sanguinea est corporis temperies, eorum cutis contagionibus absorbendis aptior videtur esse, quam illorum qui pituitoso temperamento flaccescunt (1).

Dispositio praeterea haec valde modificatur per diversum organismi statum a varia diaeta varioque vitae regimine positum, perque conditionem potissimum tubi gastro-enterici diversam; ita ut frequens sit animadvertere quod post errores in cibis potubusque faciliori negotio contagia quaedam (febres hyphoideae, pestilentiales etc.) suscipiantur. Quod quidem non omni abludit ab explicatione, quum consideraverimus arctissimum, qui inter cutem atque digestionis vias intercedit, nexum.

---

(1) Idem. op. cit.

Dispositionem hanc pariter adaugere adfirmant perturbatas intellectus functiones per animi pathemata deprimentia, potissimum per timorem. Etsi minime credendum reamur iis, quae a quibusdam dictitantur, historiis morborum a mentis perturbatione inductis (1), illustrium tamen medicorum comprobata experientia certum habemus plurimos per metum in morbos contagiosos irrepsisse, quod maxime de peste apud auctores confirmatum perlegimus.

Assuetudo etiam, vel utpote dicunt *suetudismus*, dispositionem pro suscipiendis modificat contagionibus. Id enim relate ad contagia evenire cernimus quod fit tum et quando quoad venena, quorum actioni diuturno usu, organismus ita assuescit, ut eorum quantitatem impune haurire possit, quam si alius assumeret necaretur. Hoc phaenomenon certum est, atque passim in parabolanis usuvenire conspicitur, licet ejusdem causa prope omnino ignoretur, nisi forsan adfirmare velimus quod contagia legem sequantur, quam caeteri stimuli sectantur positivi. Quam quidem hypothesim et animadversione confirmare possemus individuorum quorumdum, quae dum conti-

(2) Vide opus in Italia editus cui titulus: *Dizionario classico di Medicina interna ed esterna*, etc., art. *Immaginazione* ubi doctor *Pezzi* plures ex hisce historiis collegit, quarum quasdam perlegentes a risu vix abstinere potuimus.

nuo semet per annos contagiis exposuerunt, nunquam ab ipsis corripiebantur, et tunc tantùm contagia subiiere, quum quavis ratione ab occasionali causa abstinere incoeperint.

IX.

Sed ea ni fallamur circumstantia, quae maxime pronam humanam constitutionem reddit ad contagiorum susceptionem, est *constitutio diversa epidemica* existens, quae tum juxta anni tempora varia, tum juxta thermometricas, barometricas, hygrometricas mutationes intercedentes, tum tandem juxta causas quasdam, quae medicorum oculos hucdum effugerunt, organismos tali pacto modificat, ut quum contagiosis exponantur principiis facillime eorumdem persentiant influxum, atque morbis ab iisdem inducendis corripiantur. Quamvis difficilioris, quin immo impossibilis saepenumero, negotii sit phaenomeni hujusce caussam tradere, nihilo tamen secius res continua confirmatur experientia, ut ipsa in dubium poni nulla queat ratione. Et revera, utpote celebratissimus animadvertit quidam Pathologus (1), febres ex. gr. typhoideae peticulares quae hinc illinc sporadice accidunt, quamquam per conta-

(1) *Tommasini.*

gium diffundi possint, saepenumero haud per populationem grassantur, quamvis pauci momenti sint sedulitates eae, quae a medica politia in usum deducuntur ad ipsarum diffusionem impediendam; dum aliis in circumstantiis quacumque adhibita cura, ne aegrotantes cum sanis communicent, febres eaedem, propter ipsis faventem constitutionem dominantem, late per populationem integram disperduntur, magnasque edere valent clades.

Etiam relate ad conditiones aëris atque soli diversas, quae diffusioni contagiorum ansam praebent, quaedam ab observatoribus medicis collecta sunt, pro praxim faciente admodum utilia. Observatum est itaque, quod coeli fervens plaga, annique aestiva tempestas harum potentiarum vim generatim promoveant, quodque contrariae omnino circumstantiae plerumque earumdem obstent propagationi. Hoc tamen minime quibusque contagiis convenit speciatim sumptis; nam observatum est quod materies, quae typhi contagionem constituit per moderatum potius caloris gradum quam per magnum aestum vehementior, et actuosior reddatur. Idem pariter de variolis dicendum est, quas late grassantes egomet ipse vidi Patavina in urbe, tribus circiter ab hinc annis, dum anni temperies maxime earumdem propagationi obstare videbatur.

X.

Haud hoc praeterire possumus de susceptibilitate pro contagiis argumentum, quin aliquem sermonem instituamus et de atriis illis per quae organismus noster contagia suscipit. Non enim tantum ex atriorum eorumdem animadversione intelligitur quonam pacto contagiones corpus subeant nostrum, verum percipitur quaenam facilius, quaenam difficilius in oeconomiam introduci valeant.

Plurimorum sententia fuit pathologorum ut *tactus* conditio semper neccesse sit ad contagionum propagationem, utque contagia nulla per aërem ex infectis ad sanum deferri possint juxta illam Franco-galli Nacquart opinionem: *Nous ne reconnaissons en aucun cas, qu' un virus contagieux ait une sorte de volatilité, qui lui permette de se mêler à l'air, le quel en deviendrait le véhicule;* cui adserto proxime accedere videtur quidquid de contagiorum scripsit diffusibilitate Italus Franciscus Puccinotti quum adfirmaverit: *I contagi sogliono a contatto dei corpi rimanersi, i miasmi e gli aliti d' infezione sono quelli che si elevano dal corpo dell'uomo malato di febbre putrida o tifoide, quali contaminano l' aria e formano intorno a lui un' atmosfera infetta, nella quale trovandosi*

i sani, sia per ispirazione, sia anche per assorbimento dei detti miasmi, ammorbano spesso della medesima malattia. Ma come non è contagiosa quella intermittente che nasce da respirazione o da assorbimento di miasma palustre, così nè tampoco quella putrida nosocomiale che nasce da respirazione, o da assorbimento di miasma putrido animale (1).

Contactus tamen diversimode inter sanos atque aegrotos instituitur; nam nunc sana corpora nulla re interjecta infectos homines contingunt, nunc rebus interpositis evenit ut contagionis virus quasi vehiculis utatur ut ex infirmis ad incolumes migret homines. Exinde ea facta celebris contagiorum divisio, qua aliud *contagium ad contactum*, vel *vivum* dicitur, aliud *contagium ad distans*, sive *mortuum* nuncupatur.

XI.

Si tamen rem attente relate ad contagia diversa perpendere voluerimus facile innotescet quod ex affectionibus his (2) tres saltem (variolae, morbilli, atque scarlattina), praeter unius alteriusve

(1) Op. cit.
(2) *Rochoux*.

generis contactum, qua vehiculum et aërem habere possint atmosphaericum ad circumscriptam quandam distantiam, quod satis est ad infirmam illorum opinionem demonstrandam, qui dijudicant quod nunquam hoc fluidum communicationis medium constituere possit. Et re quidem vera facilius percipi poterit quod materies contagiosa morbillorum atque variolarum ad distantiam quorumdam metrorum ab infirmo sanum subire possit, quam quod ipsa (id quod ab iis, qui de contagiis scripsere, fere omnibus adfirmatur) incolumis per menses et annos corporibus adhaerere possit contumacibus, quin propria destituatur efficacitate.

Equidem verum est quod aër (atque stricte aëris oxygenium), qua principium a pathologis habitum fuerit, quod contagiosorum seminum destructionem promoveat; sed nil obstat admittere, quod si aëris ipsius quantitas quaedam circumscripta exuberanti contagiosorum principiorum quantitate imbuatur, minus efficax ad illa decomponenda evadat, quodque exinde eorumdem ad quandam distantiam diffusionem permittat. Tali pacto *auram contagiosam* vel *sphaeram individualem activitatis contagiosae* primitus a Fracastoro prolatam, exindeque a Russel atque ab Hildenbrand iterum ab oblivione revocatam (etsi summopere, ut Haygarth demonstravit, circumscriptam), nobis in mentem effingi-

mus eaque quoad contagiones plures facta quaedam, quae in praxi medica continuo accidunt, explicanda arbitramur.

XII.

Hisce praepositis haud difficile erit nunc intelligere quod non tantum per simplicem tactionem mediatam, vel immediatam, ast potius quod quatuor ferme modis hae nocivae potentiae in corpus sanum irrepere possint; scilicet

1.° Per simplicem contactum infecti vel rerum ab eodem contrectatarum, quod per atrium fit cutis.

2.° Per sorbitionem seminum contagiosorum in aëre volitantium a cute, superficie pulmonum, atque forsan a mucosa viarum digestionis promotam.

3.° Per contactus modum peculiarem illum, qui in concubitu obtinet.

4.° Per contactum punctione, vel laceratione, vel morsu aliquo accedente.

Non est nostri ut singula contagia ad trutinam revocemus, atque modos speciales quibus organismum subire possunt consideremus; in genere dixisse satis erit, quod quaedam sint, utpote variolosum, scarlattinosum, morbillosum seminium, quae omnibus quatuor rationibus, utpote vide-

tur, in corpus irrepere queant; quod de peste ambigant pathologi utrum secunda ratione in organismum introducatur, aliis id adfirmantibus, aliis e contra negantibus, quod pariter de contagiosis typhicis adfectionibus est dicendum. Nemini vero ignotum est quod tertia potissimum ratione late proserpant lues venerea, ac non venereae quaedam genitalium infirmitates; quod primo modo organismum subeat scabies. Virus vaccinum, ac rabies tandem ultima ratione utplurimum ex aegroto ad sanum migrare animadivertuntur.

XIII.

Intelligitur exinde facili negotio undenam originem deducere potuerit divisio illa contagiorum quam pathologi pro maxima parte sequuntur eadem in fixa, et volatilia distinguentes. Haec, qua vapores, quodammodo in aëre suspenduntur atque ad quamdam saltem distantiam trasferuntur, dum illa liquidis quibusdam adhaerent plasticis atque spissis quibuscum uniuntur. Minime tamen credatur quod divisio haec ita distincta sit, ut volatile contagium per aërem tantum diffundi possit, nam e contra observatur quod pro maxima parte (ut adnotavimus insuper XII) illa, quae vaporosum habitum assumunt,

286

vim intactam praeseferant etiam tum quum denso adhaereant liquido. Cujus quidem rei argumentum firmissimum suppeditant, inter caetera, variolae, quae et per aërem, et per puris pustularum insitionem pariter evolvi possunt.

Factum est exinde ut quidam tertiam, hoc sub adspectu, proposuerint contagionum classem, illas *contagiones mixtas* nuncupantes. Non est hujusce opusculi contagia singillatim fixa, volatilia, vel mixta perpendere quum et incertum sit, relate ad quaedam (XII), utrum ad unam vel aliam potius pertineant classem, quumque id magis ad partem practicam doctrinae, quum ad theoreticam spectet.

XIV.

Hisce hinc statutis videre quisquis poterit quod facilitas major minorque, qua contagia ad sanos homines migrare solent non tantum in relatione sit cum susceptibilitate individuorum diversa, verum cum majori minorive eorumdem semet diffundendi facultate. Quae enim vaccina materies saepenumero incassum, propter suam constitutionem, corpori inseritur, quantam offert, quoad hoc, discrepantiam cum seminio morbillorum atque scarlattinae, quod quibusdam in circumstantiis facillime atque citissime per urbem integram debacchatur!

XV.

Insuper declaravimus (VII.) quod inter contagionum characteres et hic enumerandus sit, quod: *Processus morbosus, qui e contagioso in organismum principio inducitur, qualitativas potius quam quantitativas vitae ponat mutationes, quae mutationes phases percurrunt suas, etsi diversa sit quantitativa vitalis processus conditio.*

Priusquam ad theorema a nobis propositum animadvertendum accedamus novisse intererit medicorum observatione innotuisse quaedam contagia citiori incedere decursu atque febris impetum incendere, dum alia magis lente atque pedetentim mutationes sibi proprias in organismum ponant, chronicos inducant morbos, nec febrili aestu neccessario comitentur. Celebris hinc orta contagiosorum morborum illa divisio, quae eos in *contagia exanthematica,* atque in *contagia impettiginosa* dispescit. Horum exemplum offert *Scabies,* priorum *Scarlattina.*

Febriles tamen motus qui in prioris ordinis contagiis, organismum lacessentibus, occurrunt, symptomatici magis arbitrandi sunt, quam hydiopathici ex contagiorum actione. Juxta enim

ideas, quas quoad febres hasce exanthematicas nobis efformavimus, nil in iisdem perspicimus, nisi motus quosdam naturae reagentis contra principia peregrina, stimulo suo vitae inimico oeconomiam lacessentia; ita ut non ex contagii adpulsu sed ex renisu potius naturae medicatricis dependeat. Quam enim febres illae, quae ex contagiis oriuntur, dummodo intra datos limites detineantur, a veris discrepant febribus inflammatoriis.! Dum enim hae compesci debeant a medicinam faciente ne vitam sufflaminent, febres exanthematicae e contra colendae sunt, nam iisdem deficientibus, ad cutis ambitum efflorescentia plerumque imperfecta evadit, vel plane deficit maxumo cum aegrotantis periculo.

Ast in exanthematibus an ne febris pathognomonicum morbi phaenomenon? an ne id quod maximam ex pathologo sibi vindicat attentionem? Certe non; sed mutationes potius illae, quae in una alterave organismi parte per contagium, contingunt, quaeque plane demonstrant quod id profunde vires vegetantis vitae modificaverit, ita ut aptae evaserint ad productum insuetum, peculiarisque naturae gignendum.

Non loquor vero de contagiosis impetiginibus; nam omnes in eo conveniunt medicinae scriptores quod perturbationes ab ipsis positae primitus et eminenter vegetationis attingant processum, quodque si in incitabilitatem agant, secundaria sem-

per atque accidentalis actio haec sit dijudicanda (1).

XVI.

Locales hinc morbi, qui ex contagiis agentibus oriuntur, peculiari ratione indigitant modificatam vegetationem, ac perturbatas vires eas, quae processui praesunt vegetanti. Etsi vero morbi locales ii de quibus agimus, ex permutatis oriantur dynamicis vegetationis momentis, nihilotamensecius confitendum est eosdem characterem plerumque phlogisticum praeseferre, vel aliis verbis phlogoses esse. Phlogoses vero eae non qua symplices legitimae inflammationes assumendae, verum qua processus inflammatorii peculiaris indolis, vel, ut veteres dicebant, *specifici*, characteres quosdam singulares offerentes, formas sibi proprias eligentes, atque peculiaria edentes producta. Quis enim primo intuitu non distinguet phlogosim cutaneam a scarlattina a morbillis etc. positam a simplici erysipelate? Quis ulcera a contagio venereo orta ab ulceribus inflammatoriis? Toto enim coelo diversi sunt processus, nec

---

(1) *Burserius, Frank, Hildebrand, Alibert etc.*

cum quibusdam convenire possumus pathologis(1) qui *phlogosim semper unam eamdemque* praedicantes, nullo pacto phlogoses a contagio derivantes, ab inflammationibus aliis distinguunt.

Et re quidem vera dum ex hisce phlogosibus quaedam superficiem tantum attingunt membranarum atque desquammatione terminantur, aliae profundius penetrant, pustulis diversae magnitudinis et formae originem dant, ac suppurationem, vel eamdem inducunt gangraenam; dum quaedam lympham concrescibilem edunt qua vegetativus instauretur processus, aliae ex adverso saniem plorant, unde praeponderans resolutionis vis, vel ad destructionem magis magisque proserpentem proclivitas.

Cum hoc, quod attulimus, theoreticae medicinae principio et cujusdam celebratissimi Pathologi sententia convenire videtur, qui quoad morbosos adparentes processus a contagionibus inductos haec profert: Contagium equidem quocumque in individuo, quod attingat, morbosam semper aequalem inducit metamorphosim; ast morbus qui subinde evolvitur haud semper eidem extollitur vehementiae, nec eamdem demonstrat indolem. In quibusdam enim mitis adparet, at-

---

(1) *Plures Novae Doctrinae Medicae Italorum sectatores.*

que talis stadia percurrit sua, in aliis violentismus animadvertitur, ac febris, quae eumdem comitatur, nunc characteres offert hypersthenise nunc debilitatis vitalis (1).

XVII.

Haec, quam adnotavimus, morborum contagiosorum inter exanthematicos, atque impettiginosos, distinctio ad phaenomenon quoddam, quod in eorumdem occurrit decursu, animadvertendum nos inducit. Prima enim, quibus febris adsociatur, determinata emetiuntur stadia, ac ad coctionem quum pervenerint, sponte cessant; dum altera continuo ad sui tendunt reproductionem, ita ut ad illa subvertenda haud satis sint naturae vires, nisi vel morbosus compescatur fomes, vel per artem naturae reactio intendatur.

Etsi difficillimi pensi sit phaenomeni hujusce explicationem exhibere, inter tot imperfectas, quae hucdum in lucem prolatae sunt, illam magis ingeniosam arbitramur theoriam quam protulit immortalis Vindobonensis Pathologus, quippe quae febrem considerat, utpote antea nos di-

(1) *Hartemann* Theorihe der Krankheit.

272

judicavimus (XV), qua *activum naturae*, uti dicunt, *symptoma*, quod non ex contagii actione verum ex organismi potius renisu procedat. Theoria vero sequens est:

Contagia prioris ordinis provocant equidem celeriorem infectionem, atque metamorphosim in adfectis partibus citius ad alia organa diffundendam, sed eodem tempore citiorem excitant reactionem in universo vasorum systemate sub febris forma, quae phlogisticum saepissime characterem assumens agit ita ut regeneratio partium morbo contagioso subjectarum celerior atque perfectior evadat.

Opposita animadvertitur in afebrilibus contagiis conditio. Destruens enim a contagio ipso provocata metamorphosis, lente atque clanculum proserpens, minime hanc excitare valet febrilem universi vascularis systematis exagitationem, nec in adfectis organis magnam vitae plasticae reactionem inducere. Hinc, si quidquam regeneratur, imperfectum est minorique vi donatum, et morbo contagioso et dissolutioni facile cedens (1).

(1) Pathologia dynamica §. 789.

XVIII.

Ast argumentum speculationis pathologicae, saepenumero ab illustribus in scientia viris exagitatum, est *inquisitio modi, quo contagiones corpus animale vivens invadunt et in ipso propagantur;* quae quidem quaestio aliam secum adducit pariter valdopere controversam: *naturae,* scilicet, *quae contagiosis tribuenda est potentiis.*

Nos idcirco, de contagionibus pertractantes, illa, quae dissertatiunculam, decet, brevitate, haud argumentum de processu morboso, qui a contagiosis principiis in organismum inducitur, relinquere possumus, quin aliquem et de hac re sermonem faciamus.

Quoad idcirco priorem quaestionem adnotandum est valde discrepantes fuisse, atque adhuc esse theoreticorum opiniones, juxta illas, quas de morborum pathogonesi ideas amplexi sunt. Boerhaavius enim (1), ac caeteri qui eumdem sequuti sunt, humoristae declaravere quod contagiosae materies ab absorbentibus inhalentur, quodque cum sanguine commixtae in circulum ducantur. Sanguis vero per principia haec, quo-

---

(1) Vide ejusdem Praelectiones medicas.

rum actionem quodammodo fermento aequiparant, modificatur, ejusdemque pars in substantiam convertitur pariter contagiosam, quae per secretionem nonnullis partibus organismi tradita, ibidem processum morbosum exsuscitat forma peculiari adparentem, usquedum per excretionem ab organismo eliminetur.

Haec quidem theoria, etsi contagiorum diffusionem ac propagationem omni ex parte explicaret, plane hypothetica ac difficultatibus plurimis obsita deprehenditur quando consideretur:

Quod contagiosa sanguinis infectio, etsi a plurimis defendatur (1), summopere incerta sit quin etiam quibusdam in casibus probabilitate omni destituatur. Quis enim massam sanguineam contagio foedatam arbitrabitur in ulcere locali venereo, vel in scabiosa labe recenter tantum recepta atque ad parvam organismi plagam circumscripta, etsi ex infecto ad sanum morbus per eamdem possit propagari?

Si vero iis credamus, quae cum sanguine individuorum contagio adfectorum instituta sunt, experimentis, pro certo ratoque habebimus eumdem contagiosis proprietatibus expertem esse.

Quum praeterea indubitatum sit quod facili negotio ab aëris ipso oxygenio, vel a dynamico

(1) *Brera* etc.

digestionis processu contagia decomponantur, quomodo unquam in mentem nobis effingere poterimus eadem multiplici illi chilificationis, lymphatisationis, sanguificationis, respirationis, adsimilationis, se-et excretionis processui obstare, continuae illi metamorphosi resistere, cui materies in circulum actae incessanter subjacent?

Sed quum et hoc, quod difficillimo negotio concipi potest, admittamus; quaerendum esset quomodo contagiosa materies, juxta ipsos qua fermentum in sanguinem agens, tunc tantum secernatur a massa sanguinea, quando ejusdem partem in substantiam contagiosam permutaverit, nec id antea peractum fuerit quum contagii particula in circulum introduceretur; dum altera ex parte hoc facilius evenire potuerit priusquam fatalis haec accidat fermentatio.

XIX.

Solidistae vero ex Sthalii temporibus alia omnino ratione rem explicandam arbitrantur. Quum explicationem solidistarum valdopere laudatam noverim ab Italis Medicis (1) intererit eamdem

---

(1) *Rasori*, *Tommasini*, *Fanzago*, *Brera* ec.

796

aliquantulum fusius exponere, ipsissima verba cujusdam pathologi scholae ipsius hic illinc afferendo.

Contagiones idcirco, juxta ipsos, potentiae sunt, quae non totum corpus, sed unam dumtaxat ejusdem partem primum afficiunt, eis partibus iisque fibrarum textibus, quibus insident, irritativam conditionem ingenerantes. In id vero more suo intentae sunt, ut earum partium in quas suas vires expromunt, integritatem vitient. Hinc irritatis in partibus motus abnormes incitantur, qui potentiae irritantis actioni ex aequo respondent.

Horum vero morbosorum motuum causa, fit ut irritatae quoque partes vita adjuvante hujuscemodi materiem gignere possint, quae ejusdem indolis atque naturae sit cum ea, quae primum irritationem concivit. Ex hoc quasi fonte modo diutius, modo brevius manat atque excernitur, morbo cogente, nova contagionis materies, unde contagio ipsa perennatur.

Localis vero irritativa adfectio, quae ansam praebet formationi materiei contagiosae, quin neccesse sit ut materies ipsa ad regiones alias deferatur, per sympathias atque antagonismos eos, quibus pars adfecta cum aliis organicis partibus nectitur, analogos exsuscitare valet motus morbosos, unde facili negotio ulterior adfectionis extensio contagionisque explicatur multiplicatio.

Ast et haec hypothesis difficultates offert plu-

rimas, quarum explicationem ipsa nullo pacto nobis effingere possumus. Inter caeteras en sequentes:

1. Haud clarum nobis videtur id quod ipsi pro protentiis intelligunt irritantibus. Certe, (ut controversias, quae relate ad irritationem apud Italos ipsos (1) adsunt, praetereamus) vocabulo obscuro rem pariter obscuram explicare nituntur; nam eo minime certe definiunt quas mutationes vita plastica a contagiis patiatur.

2. Quomodo, vero talibus innixi fundamentis explicare possumus (quidquid passim accidit)quod contagia quaedam intra datum tempus stadia percurrant sua atque destruantur; quum, dummodo viget in organismo irritans potentia, motus obnormes ab ipsa inducti iterum generari, exindeque contagiosa reproduci seminia continuo deberent?

3. Praeterea quam legem reproductionis, atque multiplicationis, tali sub hypothesi, contagia sequuntur? De hoc nullum invenimus factum sermonem.

Ex quibus omnibus tuto adfirmare valemus cum auctore quodam, quod punctum praecipuum quaestionis, eadem quidem admissa, adhuc insolutum remaneat.

---

(5) Vide Opusculum *De Irritatione* conscriptum ab *Ign. Penolazzi*, ac in *Dictionario classico medicinae* superius citato insertum.

XX.

Declarant vero neoterici complures (1) quod propagatio contagiorum generationis ipsius processui sit aequiparanda, quodque seminibus quodammodo materies contagiosae analogae videantur. Pluribus innituntur ipsi aliunde argumentis, quibus analogiam ham confirmare student, quorum operae praetium erit quaedam in medium proferre.

Animadvertunt scilicet illi; quod proprietates quaedam, quas inditas asserunt ipsi humano esse semini, contagiis pariter conveniant, utpote mira est volatilitas atque tenuitas, quibus constant, principiorum; vis quam ultra contactus punctum expromunt; aura quaedam qua instruuntur, cujus vix explorari potest pondus; potestas quam diu servant, dummodo ab aëre arceantur, morbosas formas sibi proprias producendi etc. His praeterea adjungunt quod sicut in processu generationis quaedam caloris quantitas intercedat neccesse est, ea pariter opportet ad contagiorum genesim, quodque tempore quodam opus sit contagiis aeque ac generationi, quo se suis prodant effectibus.

Insuper et aliam adjungunt observationem, in

(1) *Jean*, *Acerbi* etc.

eo sitam, quod, siculi semen unum iisdem soli atque coeli influxibus repetito commissum, eamdem constanter plantam offert, et contrariis in circumstantiis valde modificatam; contagia pariter prout valde similibus vel dissimilibus in hominibus evolvantur constantem, vel degeneratam praeseferunt, qua donantur, formam. Id vero pluribus confirmant exemplis, quae a *Scherlievo*, vel a *Syphilide* in Canadea (utraque peculiaris luis venereae degeneratio) a *Febri flava* ab America in Europam invecta, a *Lepra squammosa* in Scandinavia etc. suppeditantur.

XXI.

Factum est exinde ut hujusmodi pathologi in eam venirent sententiam, ut crederent, quod ad entia organico habitu donata, contagia referri debeant; quin imo inter illos quidam non defuerunt qui arbitrarentur quod contagia ipsa ad producta regni animalis pertineant. Ii idcirco totidem, quot contagia cognoscuntur, statuerunt inferiorum classium animalculorum genera, quae cum numero augerentur, atque propagarentur, ejusmodi morbos excitarent atque diffunderent. Opinionem vero prolatam speciosa confirmavere argumentorum manu, quorum quaedam hic decerpta supponimus:

1.° Contagia formam offerunt materialem sibi propriam, cum nullo alio vegetationis producto confundendam, quod peculiare tantum videtur entium organisatione donatorum.

2.° Singula decursum, durationemque sibi propriam praesentant per determinatum quodam temporis intervallum duraturam, juxta contagia varia diversam, quod, secus illos, cum animalium vita maximam offert analogiam. Stadia praeterea quae intra determinatum spatium atque dato ordine absolvunt, analogiam hanc magis arctam reddunt, nam cum diversis aetatibus eorumdem facile comparantur.

3.° Quam vero vegetant vitam, novimus, contagia (ac plantae parasitae) in damnum ducere entis cui insident, ita ut contagiorum luxurians evolutio damna struat maxima oeconomiae, et viceversa. Modificationes pariter, utpote insuper adnotavimus (XX) quas contagia juxta constitutionem diversam entium in quibus evolvuntur, patiuntur, adlatam animalis contagiorum naturae hypothesim confirmare videntur.

4.° Quod si his addatur, quod valdopere contagia modificentur prout ab alio ad aliud animalium genus migrent, utpote etiam in animalibus juxta diversas terrae plagas in quibus vivunt evenire compertum est, novum pro analogia hac statuenda argumentum offendimus.

5.° Contagia autem juxta ipsos et in eo simili-

tudinem cum animalibus suppeditant, quod semet propagandi facultate donentur tunc solummodo quum ad sui fastigium pervenerint, utpote fit in animalibus, qui generandi facultatem tantum adipiscuntur, quando evolutionis altiorem attigerint gradum.

6.° Quod postremo contagia ad animalcula sint referenda, et observatione confirmare nituntur plurimorum fide dignorum medentium, qui animalcula eadem extra dubitationis aleam, postquam ipsa observaverint, reponunt (1).

His praeterea plures addi possent aliae, quae ab ipsis adnotantur, speculationes, quibus animatam, ut ipsi ajunt, indolem contagiis tribuere tentant; quae tamen adduximus, ad ideam quamdam rei exhibendam satis superque fore arbitramur.

XXII.

Non tamen pathologi omnes huicce, etsi nuperioribus diebus ad sydera elatae, quiescunt contagiorum propagationis theoriae. Recte enim

---

(1) Valde de horum animalculorum praesentia dubitatum est potissimum de *Acharo Siro* Linn., qui in scabie enunciatus est. Pro maxima parte pathologi nihilominus nostris diebus confirmant animalculi ejusdem praesentiam. Ignoro utrum id, de aliis animalculis, quae in contagiis supponunt, sit repetendum.

animadverterunt, quod illi qui propagationem contagiorum cum generatione pari passu incedere arbitrantur, ignotum per id explicare studeant quod propemodum ignotius est. Hinc, et quoad hoc, cum quodam pluries citato auctore est concludendum, quod *licet aliquis analogiam propositam verosimilem esse subtili ratiocinatione pervincat, non ideo quidquam lucis ei phaenomeno accidit quod explicandum curabit.*

Quum vero hypotheticam declaraverimus illorum sententiam, qui cum generatione diffusionem aequiparant contagiorum, sponte elucet quod haud firmis argumentis innixa pariter sit illorum opinio, qui ad animalis regni producta referunt contagiones. Equidem contagia quasdam praeseferunt cum animalibus analogias; at si a nobis adlatas (XXI) perpendamus, videbimus quod facile plures quibusdam nullo pacto conveniant, quodque analogiae ipsae, ad casum singularem propositae, haud satis sint ad animalem unius alteriusve contagionis naturam firmiter statuendam.

Quoad sextum (XXI) vero attinet argumentum, illud praeterea est animadvertendum, quod licet peculiaria animalculorum genera contagiis quibusdam propria inventa sint, id tamen de omnibus haud dici potest. Usquedum hinc ipsa non deprachendantur, eorumdem generali ratione haudquaquam statuere poterimus praesentiam. Quod si et id aliquando fieret, in anceps semper

erit pathologus, ut recte quidam objecit, *hujusmodine insecta a contagionis materia gignantur, an ipsa vero sint contagionis materia, eidem propagandae opportuna* (1).

XXIII.

Postremo hic alia relate ad contagiorum propagationem solvenda semet offert quaestio; *Contagiane externo semper in aegrotantium migrat oeconomiam, vel sponte evolvi possunt per morbose a norma aberrantem vitae processum?*

Haec plena periculi disquisitio, quae pathologorum valdopere exercuit ingenium, haudquaquam hucdum extra controversiae aleam posita est. Dum enim plures adfirmant quod nunquam contagia sponte humano in organismo evolvi possint; sed quod semper ad externas potentias nocentes sint referenda (2) alii equidem ejusdem celebritatis viri (3) contendunt quod quibusdam in circumstantiis vires vitales oeconomiae, per morbum perturbatae, aptae evadere possint ad productum contagiosa facultate donatum, gignendum.

---

(1) *Fanzago.* Op. cit.

(2) *Puccinotti*, cum pluribus Medicis Italis.

(3) *Brera*, atque pro maxima parte Medici Germani.

Hoc quidem isti argumentis quibusdam confirmant; observant scilicet quod sicuti vita a normali conditione abludens ansam praebere potest quibusdam praeternaturalibus organicis metamorphosibus, utpote venenis nonnullis (AcidoHydrocyanico), atque chrasi illi organisationis, quae combustioni spontaneae opportunitatem suppeditat; nil obstat quod a pervertito processu vitali et germina gignantur contagiosa.

Experientia pariter quod ratiocinatione deducunt fulciunt; hydrophobia enim, quae tum et quando, quin morsus rabidi animalis alterius accedat, sponte evolvitur spontaneam plane confirmat potentiarum contagiosarum evolutionem. Praeterea adjungunt ipsi, nisi in organismo contagia generarentur, quomodonam explicare possemus primam contagiorum genesim? Undenam primitus contagiosus processit fomes? Certe commodius percipi potest, quod sponte principia contagiosa in organismo, in datis convenientibus circumstantiis, evolvi possint, quam quod humanum ex principio genus contagionibus quibus obnoxium est, omnibus foedatum evolveretur.

Quibus quidem argumentis talia, contrariae opinionis sectatores, opponunt:

1. Nimis perspicua est, inter contagiosos fomites atque adlatas metamorphoses alias anormales organismi, discrepantia; ita ut hic ex inductione ratiocinatio omni probabilitate destituta videatur.

2. Quod dicitur de evolutione spontanea hydrophobiae, incertum hucdum valdopere est; nam ignota esse possunt saepe vehicula quibus hydrophobicum virus humanum irrepserit in organismum. Praeterea recte observandum an ne hydrophobia spontanea ipsa, quae qua essentialis morbus considerata fuit, potius fuerit symptomatica; nam omnibus notum est quod et hoc symptoma quibusdam adsocietur morbis, quo in casu incerti semper haeremus utrum per contagium hydrophobia illa diffundi possit: non enim historias certas habemus hujuscemodi infirmitatis per morsum ab uno ad aliud proserpentis humanum individuum.

3. Quae opponitur difficultas relate ad primigenam contagiorum evolutionem nil probare valet. Relate enim ad primam entium omnium genesim fere nihil, vel prorsus nihil nos scire confitendum est. Etsi plantas parasitas arboribus, adhaerentes videamus, etsi insecta homini adlata; quis de ipsorum prima genesi aliquid adfirmare potest nisi magis phantasiae figmentis, quam chastae observationi fidere voluerit?

XXIV.

Quibus omnibus nihilominus in unum collectis nos, nisi certe statui, contagiorum spontaneam evolutionem omnino negari posse, minime remur.

Utpote enim quotidie animadvertimus, quod per generationem, sicut ajunt, *equivocam* entia quaedam organisata inferiora et animalia et vegetabilia gignantur, nil obstat admittere quod id pariter de contagiis fieri queat; idque eo magis quod observamus quandam inter haec ac illa analogiam, quam quidem candide, etsi imperfectam, nos ipsi confiteri cogimur. Tali pacto re statuta maxumam, quoad semet primitus evolvendi atque propagandi rationem, affinitatem offendimus inter contagia, interque entia quaedam morbosa altera in organismum nidulantia. Helminthes scilicet, quorum primam genesim ex equivoca asserunt geratione (1) locum habere, cum semel evoluta fuerint, legibus vitae obtemperantes, et semet multiplicandi proprietate donantur.

Praeterea quotiescumque post annos et annos quadam in regione, quin statui possit quod forinsecus morbus introductus fuerit, animadvertimus contagiosum morbum adparere, an ne probabilior phaenomeni explicatio petitur ex spontanea contagii evolutione, quam ex germinibus contagiosis, per tam magnum temporis intervallum, materiebus adhaerentibus, inque ipsis, quin decomponantur, delitescentibus? Non ignoro quod

(9) Vide opusculum inaugurale editum a Doctore *Cajetano Layer* De Vermibus intestinalibus organismi humani etc.

hoc a praeclaris quibusdam asseratur medicis (1), ast qua probabilitate non video. Notum enim est diuturna experientia, quod contagiosa principia (quamvis in perfectae siccitatis statu corporibus adhaerentia, exindeque diutius resolutioni, atque destructioni resistentia), et a calore et e frigore justo majoribus, et ab aëris oxygenio, et a luce ipsa facillime decomponantur. Et re vera quot sedulitates necesse sunt, ut per mensem tantum vaccinum purem efficacem servemus, et quoties, etiam iis adhibitis effetum animadvertimus!

XXV.

Ast et admissa contagiorum per *epigenesim* (utpote dicunt) prima generatione, qua ratione eorumdem explicabitur propagatio, quum insuper plane noverimus quod et solidistarum, et humoristarum, et generationis theoriae infirmae atque rei intelligendae impares omnes evadant? Quidque vero dicemus de ideis illorum (1), qui vulgari fermentationi, vel affinitatis processui physico-chemico contagiorum aequipararunt regenerationem atque diffusionem?

---

(1) *Puccinotti*, *Acerbi.*

(2) *Boerrhaavius*, humoristaeque omnes subsequentes quemadmodum superius (XVIII) adnotavimus.

Opinio haec plures quidem habuit fautores, quum per eandem facili negotio summam illam explicare valeant sui propagandi facultatem, qua contagiones vulgantur. Ast quando per fermentationem intelligere poterimus reditum ad statum normalem priorem, quem organisationis materies post contagiorum extinctionem offert? An ne fermentatio qualitatem materiei fermentantis ita modificat, ut ad priorem statum nunquam recedere valeat? Certe ad id confirmandum ne illustris quidem valeret ACERBI (1) sententia, qua asserit:

Noi crederemo piuttosto che avvenga una alterazione nei fluidi animali, portata dalla materia del contagio, per cui i solidi si sforzano di emendare, di modificare, e di espellere gli umori così degenerati, finchè liberati dalla sostanza morbosa tornano in calma, si riordinano, e riacquistano il loro salutare eccitamento. In hac enim theoria pro certo habetur, contagiorum principia humorum massam subire, quod nullo argumento firmari potest.

---

(1) Egregius tamen hic medicus etsi sequentem protulerit hypothesim, comparationem inter contagia atque fermenta strenue refellit.

XXVI.

Praeterea quomodo statuere unquam poterimus, quod vulgari fermentationi aequalis contagiosae materiei evadat multiplicatio, quum observatione sancitum sit, quod potentiae contagionem inferentes morbosos effectus excitare nequeant nisi viventibus fibris adhaereant? Quod si frustra quidem laboret (1) quicumque contagiones quaslibet, vel efficacissimas, mortuo corpori inserendas curet, facile elucet, quod eaedem non nisi vita sustentari alique possint, quodque haud physico-chemicum, sed dynamicum excitent processum; quod uno verbo nulla ratione cum fermentis comparari queant.

Ex quibus in unum collatis, utpote superius adfirmavimus, concludere licebit, quod quaecumque a pathologis dicta fuerint ad regenerationem et diffusionem contagiorum explicandam, incerta sint, quodque phaenomenon illi, qui non vanis immaginationis figmentis indulgere, ast hippocratica potius inniti observatione voluerit, obscurissimis undique tenebris obruatur.

---

(1) *Fanzago* op. cit.

XXVII.

Quae vero opinionum disparitas atque incertitudo pariter inter medicos existit quoad intimam contagiosorum seminum indolem; nec una ex totidem, quotquot prolatae fuerunt, hypothesibus relate ad eorumdem essentiam, mentem medicorum satisfacere valet.

Insuper adnotavimus quanti sit facienda illorum opinio qui arbitrantur ad animalia inferiorum classium, vel saltem entia organisatione donata contagiones referendas esse.

Nec aliquam veritatis speciem, post illa quae attulimus, offert aliunde sententia illorum qui cum potentiis physico-chemicis contagiosa germina assimilant. Quid vero! aliquidne clarius exposuerunt, qui adfirmare non dubitant, Itali Medicinae cultores, quod contagiones totidem sistant potentias irritantes? Id equidem ad eorumdem actionem in organismum quodammodo explicandam inserviret, ast quoad eorum essentiam, omnino nihil offert luminis. Praeterea in quo a venenis, a vermibus atque a totidem aliis (juxta ipsos) irritantibus potentiis, quibus humana obnoxia est natura, discriminantur? Quumque, utpote pathologi fere omnes adfirmant, contagionis materiam quoddam esse animale productum as-

seruerimus, aliquid ne positivi ad solvendum quaesitum protulimus?

Quid tandem de his dicamus, qui ad materies combustibiles contagia referunt, negativam, ut dicitur, in ipsis aquae formam praevalentem autumantes. An ne tuto adfirmabimus eadem, prae corporibus caeteris, hydrogenio redundare, quum animadvertatur quod ab aëris oxygenio, ab acidis, nec non a chloro gasoso dissipentur. Hoc quidem valeret si in vita, inque vitae productis processus physico-chemicus tantum obtineret, qui nullo pacto ab incitabilitate regeretur, ast sat clare confirmatum est processum eumdem mere dynamicum esse. Quamobrem, licet valdopere ingeniosa haec Germanorum Pathologorum declarari debeat idea, haudquaquam pro inconcussa, veritatis expositione et ipsa assumenda videtur.

Hinc, ne plura de subtilioribus hisce quaestionibus dicamus, ex insuper adlatis, et quoad hoc, concludere fas erit, penitus nos latere contagiosorum principiorum essentiam ; quae quidem ingenua ignorantiae nostrae confessio plus honori humano est intellectui, quam universa illa cohors hypothesium, quae rite perpensae ad deliramentorum catervam facile referuntur.

812

XXVIII.

Inter propietates quas contagiis cum RUBINI (VII) tribuimus, declaravimus quod: *Mutationes pathologicae, quae a contagiis in organismum ponuntur nulla ratione intercipi possunt, nisi jam ex principio morbosum germen fuerit sufflaminatum, vel ablata fuerit susceptibilitas, vitalis, atque assimilatrix, quae ejusdem actionem persentit permutata.* Hoc tamen theorema nonnullis restrictionibus est accipiendum, atque ad illas struendas potissimum valebit ea, quam in medium protulimus, inter exanthemata atque impettigines contagiosas distinctio.

Observatum enim est, quod primae divisionis contagia, quum aliquando humanum organismum aggressa fuerint atque convenientem invenerint susceptibilitatem morbosam statim perturbationes quasdam inducant, quae certis ansam praebent phaenomenis formae morbosae, stadia sub dato ordine decurrere nitentis usque ad perfectam contagii extinctionem.

In hisce vero morbis naturalem stadiorum ipsorum ordinem quacunque ratione nec intercipere plane valemus, nec perturbare impune possumus. Naturali enim, tali pacto, naturae nisui opponimur, atque irregulares reactionis motus excitamus, qui in vitam aegrotantis pericula plura

gignere saepenumero consuescunt. Quae quidem res, longe observata a medicinae scriptoribus, nec sagacissimi Val. Aloys. Brera oculum effugit; sic enim is semet exprimit, quum contagiosorum principiorum combustibilem naturam refelleret: *Qualora poi la proprietà combustibile fosse un attributo comune di tutti i contagi, l'azione dei suffumigi acidi .... esser dovrebbe costantemente coronata da successo. Ma pur troppo la esperienza ce ne additò circoscritta la efficacia, risultando abbastanza da replicati tentativi, che i suffumigi acidi non esercitano verun salutare effetto sugli infermi nei quali sia di già svolta una malattia acuta contagiosa. Sembra anzi che con siffatte operazioni la affezione si renda più lestamente fatale, o che almeno percorra con maggiore celerità i propri stadj fino al funesto suo fine* (1).

Quiquid retulimus de exanthematibus ad impettigines contagiosas autem minime referatur. Quum ipsa morbos febriles exagitare per se plerumque nequeant, quumque nullas leges servent relate ad illum, quem sectantur, decursum; ast in ipsis morbus tantum e locali magis generalem acquirere nitatur formam, fit ut quocumque tempore sufflaminari valeant, utque, vel convenienti

(1) Lezioni sui contagi e sulla cura dei loro effetti ec. §. XXVII.

ratione incitata vitae reactione, vel depresso contagiosae materiei grassantis impetu, depascentes labes ab oeconomia, quin ullae vitae struantur insidiae, expellantur.

XXIX.

Quod res utpote exposuimur se habeat plurimis confirmare possemus in medium prolatis ex clinica medicina exemplis. Satis tamen nobis sit observasse, utrum ex duorum valdopere vulgarium contagiorum animadversione theoriae a nobis expositae veritas fulciatur.

Variolarum, vel vaccinae materies, quum convenienter in oeconomiam egerint, motus febriles suscistant, exindeque efflorescentiam, pustulas scilicet, quae ad stadium suppurationis atque desquammationis necessario properant usque ad germinis contagiosi extinctionem. Si, quum semel febrilis aestus incensus fuerit, tentent medicinam facientes eruptionem praecavere, vel, quum pustulae ad cutem eruperint, earundem intercipiant suppurationem (1) (etsi unde id accidat plane nos

(1) Non ignoramus nuperioribus temporibus propositum fuisse a Doct. *Serres* in variolis methodum *ectroticam* (usum scilicet causticorum) supra efflorescentes pustulas. Usus tamen caustici, justa ipsum, non ea quidem de causa instituitur, ut morbi pervertatur decursus, sed ut tantum principii purulenti resorptio praecaveatur, exindeque damna vitentur, quae ex eadem saepe evenire practici animadvertere.

ignorare confitendum sit, utrumne ex metastasi, an ex peturbatis in oeconomiae consensus atque antagonismi legibus, an ex perversis per contagiosum formitem nervosi systematis functionibus), observamus ad interiora viscera turbas magnopere metuendas gigni, eamdemque mortem subsequi posse; quin imo in potiori casuum numero animadvertimus quod incassum medici agant, atque perturbare tantum morbi stadia queant, non vero eadem praecavere vel intercipere (1).

Scabiei e contra virus statim ac in organismum introductum fuerit, sibi proprias in fibram viventem locales inducit noxas, nisique morbus ex principio sufflaminetur, magis magisque extenditur, atque dischrasiam (ut veterum utamur conceptu, verboque), cachexiamve quodammodo universalem inducere valet. Ast si ad hanc tristissimam psorae diffusionem impediendam medicus operam dederit, dummodo convenienti agat therapeia, nulla exinde oritura damna ab ipsa erunt metuenda, talique ratione naturalem, per indefinitum temporis spatium duraturum, infirmitatis decursum praecidet.

---

(1) Habentur exinde illa, quae a veteribus vocabantur *maligna exanthemata* utpote in *Van-Swietenii* commentariis, ac in *Burserio* videre est.

XXX.

Quae quoad hoc theorema statuimus principia relate ad contagia quaedam referenda, ad quaedam altera relata, utpote recte illustris pluries citatus Brera considerat, incerta sunt. Et revera, ut hujus adserti nos unum proferamus argumentum, adhuc in dubium haeremus, utrum hydrophobici contagii actio, atque morbi ab ipso inducti decursus unquam intercipi possit, diversimode quoad hoc sentientibus practicis; etsi ex iis quae magis probabilia videntur, in eam potius proni essemus sententiam, ut crederemus quod hydrophobia, quum semel evolvatur, nulla adhibita medela fraenari valeat.

XXXI.

Qua quarta contagiorum proprietas (VII) sequens habita est: *Contagia quaedam, quum aliquando organismum corripuerint, susceptibilitatem ejusdem destruunt ad ea iterum suscipienda; ita ut una tantum vice vita perdurante in individuo grassentur.*

Hoc observatione innotuit saeculorum relate ad contagiones, eas potissimum, quae eruptionis febri comitantur, quaeque exanthematicas offe-

runt ad cutem manifestationes. Ad hasce pertinent in universum morbilli, variolae, vaccina ac scarlattiua(1), queis quidem, juxta acutores nonnullos(2), non omnino datur ut hujusmodi immunitatem tribuant, quum observassent quod eidem homini non semel fuerint infestae. Ast si facta id confirmantia, ab auctoribus ipsis relata, animadvertere voluerimus, illa et rara summopere et vaga inveniemus. Fieri enim poterat ut unum pro altero assumeretur exanthema; quod quidem potissimum relate ad variolas dicendum est, ubi *verae* a *spuriis* recte evadunt distinguendae, ubique varietates constituunt *varioloides*, *varicella* etc.

Observatione autem, altera ex parte, sat certa post celeberrimum Iennerі inventum, comprobatum est, quod vaccina quum semel decursum suum regulariter in organismo exantlaverit, suscepti-

---

(1) Fiebat vero ex eo aliquando, ante vaccinam inventam, ut quum variolae populariter grassarentur, quumque generatim morbus decursum servaret benignum, mitemque intensitatis gradum offeret, fiebat inquam, ut infantes contagio suscipiendo exponerentur, ut tali ratione ab hoc morbo in posterum liberi evaderent. Hoc quidem factum novimus nostris diebus quoad morbillos atque scarlattinam, quin etiam, ex eo in operibus quibusdam perlegimus laudatam fuisse non tantum variolarum, verum et morbillorum, et scarlattinae insitionem (Vide *Burserii* Institutiones medicas de *Exanthematibus*), etsi praxim hanc magis damno quam utilitati cedere a plurimis credatur.

(2) Vide *Burserii* Institutiones medicas nuper citatas, ubi quaedam de hoc adnotantur ab auctoribus observata.

bilitatem destruat ad illius altera vice insitionem perferendam(1), vel saltem quod, si secunda ejusdem promoveatur eruptio, semper haec anomala spuria, imperfecta, longeque a priori diversa animadvertatur (2).

Contagiones vero aliae plures, eaeque vel febriles vel afebriles, pluries ab oeconomia suscipi possunt, inter quas pestem, luem veneream, scabiem, nec non venereas quasdam alias enumerant genitalium adfectiones. Cujus quidem luctuosissimae rei exempla, potissimum relate ad syphiliticam labem continuo sub oculis incidentia offendimus; commune enim est individua cernere, vix priori sanata lue, in alteram iterum iterumque incurrentia; quin etiam observatione comprobatum videtur, quod organismus quoad morbum huncce, legi pareat illi pathologicae magis generali, quod nempe quando una vice ipso correptus fuerit, majorem offerat ad illum iterum subeundum proclivitatem.

---

(1) Vide ejusdem *Ienneri* opuscula duo ab eodem relate ad vaccinam insitionem conscripta, nec non quae de argumento hoc ab *Odier*, *Fanzago*, *Careno*, aliisque primis temporibus scripta sunt.

(2) Hoc nos omnes (praeter illa quae in operibus perlegimus, potissimum in *The Edimburg Medical and Sorgical Journal*) cernere potuimus, cum nuperioribus annis propter variolarum populariter grassantium metum, plures vaccinae insitionem iterum, ad semet praecavendos, instituissent. Insitio enim altera vel nullo effectu, vel anomala tantum, pseudamorpha, ac imperfecta excipiebatur pustularum vaccinarum eruptione.

Ast relate ad susceptibilitatem hanc pro contagiis iterum perferendis, vel tollendam vel adaugendam, tertium aliquid medium tenens a pathologiae scriptoribus adnotatur. Observavere scilicet ii, quaedam adesse contagia, quae ad tempus tantum iis semel perfunctum subtrahant, quod potissimum de miliari, ac petecchiali febribus dicendum est, quae passim apud neotericos sub typhi contagiosi nomine audiunt. An ne vaccina relate ad hoc cum typho comparanda?

XXXII.

Desiderium quaecumque in natura phaenomena explicandi, eo pathologos impulit ut et hujusce causam indagarent: *cur nempe nonnullis contagionibus semel perpessis, earumdem denuo subeundarum periculum cesset.*

Obscurae tamen atque perdifficilis hujusce rei explicationes quotquot prolatae fuere, haud philosophici votis respondent medici. Nam ex hypothesi sane ridicula, et cerebrosa, petita illa videtur, juxta quam ponebant veteres, quod in oeconomia quoddam adesset *expectans* (uti vocabant) *principium*, in cujusdam materiae secretione situm, quae semel tantum in vita contingat, quaque fiat, ut materies ipsa vel absumpta,

vel mutatà, vel deficiente, suus eidem morbo quasi fomes subtrahatur.

Quid! risum teneatis amici, siquidem prolatum fuerit: *expectans variolarum principium eum sanguinem esse, qui in funiculo umbilicali ab obstetricibus vinculo supprimitur, aut illum mucum, quo oblita sunt nascentium infantum corpora, aut thymi glandulam, quae sensim dilabens hanc materiam suppeditat* (1)?

Nec nobis magis arridet, quam protulit phaenomeni ingeniosus Phil. Carol. Hartmann, explicatio ex febre reactionis comitante petita.

Asserit nempe ille quod pars organica quae perdurante contagiosi morbi decursu, ac sub persistente contagii influentia perfecte regeneratur, cum contagio eodem ad aequationem reducatur dynamicam, unde fit ut ab ipso amplius affici nequeat; quodque e contra pars organica ea, quae tunc solummodo restituitur, quum metamorphosis ex praegressa infectione inducta cessaverit, quumque contagium ex aegrotantis corpore expulsum fuerit, nunquam ad aequationem hanc reducatur, nec ab altera defendatur infectione (2).

Qua vero in opinione omnino hypotheticum prius nobis videtur, quod nunc sub persistente contagii influentia nunc, solummodo, quando con-

---

(1) *Fanzago* Op. cit. Part. II. §. 183.

(2) Theoria Morbi §. 790.

tagium eliminatum fuerit, materies contagiosa regeneretur. Quod quidem si accideret, petendum esset, in quo aequatio, de qua alloquitur, dynamica consisteret? Hic tantum obscurae rei obscurius sane verbum substitutum videmus. An ne phaenomenon explicatum dicemus quum *ablata opportunitas* in vocabulum *aequationis dynamicae* permutata fuerit?

Praeterea quomodo, secus ejusdem ideas, explicare possemus, quod pestis contagium pluries idem conflictare valeat individuum; etsi propter febriles, quas adducit, turbas, materies regenerata ad aequationem dynamicam, quam in medium profert, reduci debuisset?

Et quoad hoc hinc ingenue confiteamur oportet; quaestionem adhuc insolutam explicationem magis rationalem ex posterorum studiis postulare.

XXXIIII.

Quinta a nobis enumerata (VII) principiorum nocentium, de quibus sermonem habemus proprietas est quod: *Contagia quaedam saepe inter sese invicem excludantur, quodque plura eodem tempore in organismo existere tum et quando equidem possint, sed semper fere cum coëxistant invicem modificentur, perturbentur, nec singuli eorundem processus eodem*

tempore perfecte stadia percurerre soleant sua.

Principium hoc, quod ab auctoribus pluribus expositum fuit ratione magis generali, his nempe adfirmantibus quod absolute contagia quaedam invicem excludantur nec simul coëxistere possint, (institutis quibusdam, utpote animadvertere fas erat, restrictionibus) proponimus.

Verum scilicet equidem deprehenditur, quod contagiones nonnullae, eaeque paucae saltem, semet excludant, at id quidem rarius, ac passim rentur, usuvenire arbitramur. Si quaedam enim adesset contagio, quae ab alterius influxu organismum praeservare nostrum valeret, certe ea vaccina esset relate ad variolas, postquam observaverimus quod ipsa ad praecavendum terribilem hunc morbum undique, qua tutissimum prophylacticum adminiculum, proposita fuerit, atque in usum deducta. Atqui observatum fuit atque observatur, quod et eadem saepenumero medicorum spes fefellerit; quodque post ejusdem insitionem, volventibus annis, variolae adpareant, quin suspicio adesse possit quod vaccinarum pustularum eruptio nulla, vel imperfecta locum habuerit.

Factum ex eo est quod nonnulli suspicarentur quod vaccina a contagio varioloso ad tempus tantum praeservare valeret, quum altera ex parte fuerit animadversum quod facilius erumpant

variolae in iis, qui pluribus ab annis, quam in illis qui recenter vaccini puris insitionem perpessi sunt. (1) Quomodocumque res sit (nos enim ad dubium propositum solvendum impares declaramus) sat tuto experientia edocti adfirmare possumus, quod vaccina ipsa haud constanter variolarum praecaveat eruptionem.

XXXIV.

Quod si de vaccina statui nequit quod ipsa variolarum infectionem constanter excludat (etsi tantam offerat cum variolis analogiam, ut a plu-

---

(1) Phaenomenon hoc quod, raro primis insitionis temporibus, nunc frequentissime accidit an ne forsan ex semper decrescente vaccinae ex sanis ad sanos pueros insitae efficacitate procedere potest? Hoc quidem libenter crederem, quum ab experimentis aliquando a *Pessina* institutis compertum fuerit, quod et variolae pecudum, quum ex sanis ad sanos oves pluries inserantur, magis magisque mites evadant.

Ad quod quidem eo magis credendum et illa me impelleret, quam auctores exhibent, explicatio characteris semper mitioris, quem morbus contagiosus late grassans per populationem assumit quum ad sui pergit extinctionem. Dicunt enim id evenire eo quod, quum prius corripiantur individua magis disposita atque infirma organisatione donata, tunc magis terribilis morbus evadat majoresque edat clades neccesse est, quam quum posteriori tempore minus dispositis, magisque robustis in hominibus propagetur.

Haud tamen reticendum est, juxta ideas a nobis insuper relatas, hoc explicari posse, ex magis minusve morbo contagioso debacchanti faventibus epidemicis circumstantiis, quae characterem ipsius multifarie multiplicare valebunt.

rimis solummodo ejusdem morbi, per vitae animalium ex quibus hauritur diversae influxum, habeatur modificatio), quid dicendum erit de contagiis caeteris, quae indolem inter se adeo dissitam offerunt, quaeque formas morbosas ingenerant adeo diversas! Experientia praeterea edocti continuo evincimur, unum alterumque indistincte contagium diversis temporibus in individuo eodem grassari posse, quin quidquam certi a clinicis relate ad hoc statutum fuerit.

XXXV.

Quae cum ita sint quid nunc de iis dicamus, qui putant contagiorum potentias non plures eodem tempore, sed singula singillatim humanum corpus invadere?

Equidem observationes plurimorum illustrium medicorum probant, duos morbos, qui gemina duplicis contagionis actione derivari debuissent, eodem tempore esse atque existere non posse, id quod potissimum de contagionibus analogam indolem praeseferentibus adfirmant. Nequaquam tamen, utpote quidam illustris pathologus asserit, hoc perpetuo evenire credibile est, quum et experientiae repugnet, et rationi. Pluribus enim animadvertere datum fuit, quod, populariter grassante variolarum contagione, quum vaccinae instituantur insitio, eodem tempore et variolosae, et

vacciuicae pustulae seorsim eruperint (1); sique alicujus ponderis est hac in re tyronis testimonium, me maxima cum admiratione observasse declarabo scabie adfecta in puella typhum peticularem variolasque spurias eodem fere tempore ad cutem erupisse.

Rationi vero consentaneum videtur coëxistentiam contagiorum admittere, quum observemus potentias hasce diversas saepe diversa organa ac systemata affectare, ex quo necessario consequitur, quod: *quae unum systema invadit, alteri nequaquam adimit ut aliud invadere queat* (2).

XXXVI.

Verum potius est quod praeposito in principio (XXXIII) attulimus scilicet, quod contagia coëxistentia in individuo invicem modificentur ac perturbentur. Et re quidem vera si sermo habeatur de universali febrili reactione, quae contagionibus quibusdam perdurantibus occurrit, facili negotio percipere datum erit quod, duobus contagiis eodem tempore organismum lacessentibus, quae ad unum pertinet valdopere modificatum characterem, gradum, atque decursum offerre

---

(1) Vide *Fanzago* Op. cit. Part. II. §. 185.
(2) Idem Op. et loco cit.

debebit, per influxum alterae reactionis a diversa contagione in oeconomiam exorsae. Fiet enim tunc ut reactiones ambae invicem perturbentur, ac unam tantum compositam febris speciem praeseferant anomalam, ac phaenomenis contradictoriis stipatam, facilique negotio ad triste exitum properantem. Quod quidem si credere velimus iis, quae de diversorum contagiorum complicatione ab auctoribus dicta sunt, fieri potest ut unius contagii reactione debacchante, alterius pariter conspicui reactio sileat, usquedum, una composita, altera in scenam prodeat. Cui quidem rei utrum fides habenda sit nec ne, experientia destituti, dijudicare nequimus.

Relate vero ad locales somaticas metamorphoses per plura contagia in organismum positas, pariter fieri potest frequenter ut invicem alterutrae modificentur, dummodo analogam naturam, ac analogum decursum praesentent, potissimum ubi electiva, quam exerunt in unum aliumve organicum adparatum, efficacitas ad easdem partes feratur. Quod quidem, etsi verum pluribus in casibus deprehendatur, nihilotamensecius haud semper qua constans dijudicetur; etenim nosmet ipsi in casu insuper adlato (XXXV) eodem tempore et maculas peticulares, et scabiosas papulas, et pustulas variolosas, propriis characteribus distinctas, observabimus.

XXXVII.

Sextam contagiosorum principiorum proprietatem esse diximus ut: *omnia morbos exsuscitare valeant, qui formam propriam singuli offerunt, quae diversa deprehenditur juxta eorumdem naturam principiorum.*

Forma haec vero morbosa diversa, non illo quidem solummodo accipienda est sensu, ut peculiares incitabilitatis contagia singula mutationes producere valeant; hoc enim omnium morborum organismum infestantium proprium deprehenditur. At quando formam morbosam contagiorum dicimus, animadvertimus praeterea mutationes quasdam in organisatione peculiares, ab iis quae ex caeteris dynamicis morbis derivantur, in eo diversas (1), ut quum ab hisce procedentes pathologicae metamorphoses tantum in intima organica mixtione ponantur, mutationes quae ab illis oriuntur etiam in organica massa, in organorum scilicet textura conspicuae sunt. Hinc plerumque mutationes materiales, in oeconomia ab aliis

(1) Facile quisquis percipiet quod hic quoad perturbationes in organismo a morbis inductas arcte adhaereamus pathologicis ideis a *Mauritio Bufalini* expositis in suo opere cui titulus. *Fondamenti di Patologia analitica. Pesaro* 1828.

dynamicis morbis inductae, tantum penitiorem ac reconditam oeconomiae compositionem lacessant; dum mutationes eae quae contagiis propriae sunt sub oculis patenter incidant.

Et re quidem vera pustulas, maculas, papulas, crustas, squammas, ulcera, aliasque hujuscemodi manifestationes materiales, contagio adfectorum hominum corporibus lustrandis offendimus, ita ut pathologiae specialis auctores pro maxima parte contagiorum distinctionem praticam, atque nosologicam divisionem ex hisce diversis formis somaticis repetendam rati fuerint.

XXXVIII.

Minime tamen inficias ibimus, quod tali ex fonte petita nosologica contagiorum divisio (quamquam inter caeteras hodierno in scientiae nostrae statu, qua commodior atque magis rationalis assumi debeat) nihilotamensecius et ipsa imperfecta pluribus de causis habenda sit.

Et re quidem vera contagiones quaedam dantur, quae nec vita perdurante, nec post interitum in cadaveris obductione pathognomonicam ullam offerunt suimet somaticam manifestationem. Et ut de una sileamus, de qua hodiernis diebus in universa ambigunt Europa magis illustres medi-

cinae cultores, hydrophobia essentialis (1), quae certe per contagium ex adfectis ad sanos migrat, nullam constantem mutationem sub oculis incidentem vegetationis hucdum observatoribus praesetulit.

Praeterea ex forma adparenti petita contagiorum divisio, an ne empiriae tantum innixa, nec lumen aliquod nobis afferens quoad eorumdem essentiam ac quoad indolem perturbationum ab ipsis in osganismo inductarum?

Non est nostri practicam contagionum divisionem exhibere, quum nos de harum potentiarum nocentium theoria, generatim considerata, solummodo sermonem facere instituissemus. Ab hoc praeterea opere eo libentius abstinebimus, quod jam plures adsint hujuscemodi divisiones in praxeos medicae libris, quas observare cupienti cuilibet datum erit.

XXXIX.

Ne tamen credatur quod nos haec de contagiorum divisione nosologica protulerimus, ex

---

(1) Non ignoro a *Salvadori* aliisque enunciatum fuisse, quod adparens hydrophobiae pustulosa eruptio in oris cavitate infra linguam obtineat; ast quum alii, quin immo fere omnes qui de hydrophobia scripsere, nullum de eruptione hac sermonem habeant, fas erit eamdem saltem maximum in dubium revocare.

eo quod potius aliam moliendam arbitremur ex eorumdem essentia desumptam. Insuper (XXVII) pluribus demonstravimus intimam indolem contagiosorum principiorum omnino nos latere, quum illa quae de contagiosis fomitibus dicta sunt, magis ad eorumdem vehicula quam ac contagia ipsa, ut recte animadvertit Brera, sint referenda.

Hoc autem propterea tantum breviter disquirendum suscepimus, quod recto sensu principii a nobis positi (VII, XXXVII) intelligatur sententia illa, qua statuitur, quod *contagia formam propriam exerant juxta variam eorumdem naturam;* quam naturam, etsi omnino ignotam, variam illi innixis declaravimus philosophiae principio: quod ubi de diversis effectibus agitur, recte et de causarum diversitate concludere licet.

In quo vero diversitas causae consistat, relate ad contagiorum materiem iterum repetimus, nobis id plane ignotum esse; ab iis enim, quae ab auctoribus quoad hoc argumentum prolatae sunt, hypothesibus, quasi a venenato medicinae angue, fugiendum.

XL.

Id quod vero ab auctoribus qui de contagionibus tractavere adsertum est relate ad tempus quo contagia decursum *absolvunt suum, quod nem-*

pe varimode definitum pro potiori contagiorum parte deprehenditur, nec non relate ad varia diversa ejusdem stadia, quae pariter certis quibusdam temporis limitibus circumscribuntur, paucis haec animadvertenda dijudico.

Superius monuimus quasdam contagiosas materies, mutationes ponere in organismum certo spatio duraturas, easque generatim esse quibus febris accedit. In hisce idcirco observatur, quod contagiosus singulus morbus definitis temporis intervallis addictus sit, iisque diversis juxta contagii ejusdem varietatem; quin immo animadvertitur quod morbi ipsius decursus in periodos quasdam, peculiaribus phaenomenis distinctas, secernatur. Quod tamen apud auctores perlegimus, de stadiorum ipsorum, ac de morbi integri constanti duratione, exceptionibus plurimis obnoxium est, nam stadii unus vel alterius, et universi processus morbosi duratio varia in praxi fere semper animadvertitur tum juxta adfecti individui constitutionem, tum juxta graviorem, levioremve contagii impetum, tum juxta diversam indolem febris concomitantis, juxtaque alia facili negotio eruenda.

Relate vero ad contagia, quae febrilem haud excitare valent aestum, nil adest constantis, etnim tunc tantum organismum relinquunt, quum ad ipsorum eliminationem aptus evaserit; aliunde per universam etiam vitam illum infestare possunt.

Nos autem generali modo de contagiis agentes haud hujusce opellae esse ducimus singillatim stadia diversa, in quibus contagiosi morbi dispescuntur, recensire. Hoc enim magis specialis quam generalis pathologiae est argumentum, ideoque nosologis, maxime demandatum.

XLI.

Ast hic maximi ponderis facienda esset quaestio; *quantumnam temporis contagiosum unum aliudve principium indiget, priusquam sibi proprium, in organismo a quo susceptum est, edat pathologicum processum?*

Plane confitendum est quod, quamquam relate ad contagia plura, vaccinum puta, notiones convenientes habeantur ad quaesitum hoc solvendum, relate ad alia neccessariis careamus factis ad ejusdem solutionem exhibendam. Quid enim certi adfirmare valemus de tempore quo indiget scabiei, peticularum etc. virus ad sui praesentiam patefaciendam; quum tuum et quando videamus quod materies contagiosa intra brevissimum temporis intervallum organismum adficiat, aliquando e contra longiori quidem aegeat temporis curriculo? Idem pariter et de lue venerea dicendum, in qua et post brevissimum duodecim horarum tempus, et post mensis integri

spatium contagiosum evolvi morbum se observasse asserunt fide digni scriptores? Quid postremo credendum de hydrophobico viro, quum in annalibus medicis historiae, eaeque non admodum infrequentes, referantur hominum, in quibus, tantum post plurium annorum lapsum e canis rabidi morsu, hydrophobiae symptomata evoluta sunt!

Si quidquam tamen probabilis et quoad hoc in medium proferre valeret, me minime a veritate alienum crederem quum dijudicarem, quod *delitescentiae*, utpote vocant, in diversis contagiis stadium (etsi singulis in casibus nullo criterio statuendum) varium' esse debeat tum juxta varium anni tempus, tum juxta individualitatem adfecti hominis, tum tandem juxta circumstantias alias, pro maxima parte ignotas, quae individuum magis minusve pronum reddunt ad contagium suscipiendum, vel ad reactionem opponendam. Quam quidem sententiam sectari videtur illustris quidam pathologiae scriptor quum asseruerit: *Cum hujus delitescentiae stadii tempus non solum in diversis contagiorum speciebus discriminet, sed etiam in singulis quibusque inaequale deprehendatur, nemo facile dixerit, utrum hujusmodi differentia a peculiari contagionum indole plus vel minus actuosa repetenda sit, an potius a multiplicibus incertisque iis conditionibus, quas vivente in*

corpore contagiones eaedem offendunt, suaemet ipsarum eruptioni modo faventes modo adversantes.

XLII.

Diximus (VII) postremo quod; *contagia leges quasdam offerant etiam quoad propagationem.* Obsevatum enim est, atque diuturna experientia sancitum quod contagia quaedam hominibus propria sint, quaedam brutis tantum, quaedam tandem promiscue et in brutis, et in hominibus occurrant; ita ut generatim adfirmari possit, quod contagiorum potentiae non per omnes animantium species, nullo habito discrimine, vagent, morbosque serant.

Quamobrem extra dubitationis aleam positum esse, videtur quod lues venerea, morbilli, atque scarlattina, propriae sint tantum generis humani infirmitates; dum, altera ex parte, a potiori zoojatrorum numero asseratur, quod boum contagiones illae funestissimae, quae tantas saepenumero horum animalium adducunt clades numquam ad homines transeant (1). De contagionibus aliis ve-

(1) Dubitari potest cum quibusdam utrum quae exempla protulimus immutabilem legem constituant, etsi in maxumo casuum numero vera certe sit. Hoc dubium proferimus, quum tribus ab hinc annis nobis ipsis observare datum fuisset anthracicam contagiosam materiem ex bove ad bubulci pudenda migrasse, ibidemque terribillimi morbi carbuncularis phaenomena genuisse.

ro perlegimus quod ipsae et homines et animalia infestare valeant, talique pacto dicitur homo boum greges, equi canesque hominem scabie inficere. Sed in immensum res cresceret si cuncta hujuscemodi facta in medium proferre vellemus.

Hujusce quidem phaenomeni causam inquirere arduum atque forsan impossibile est, quum penitus natura contagiorum diversa, ac diversae modificationes virium vitalium, ab organisationis in variis entibus varietate, inductae, plane ignorentur. Quamobrem quum dictum fuerit, quod contagium unum vel aliud animalia haec vel alia non corripiat, quia haud convenientem inveniat dispositionem, aliquidne positivi dictum esse arbitrabimur? Scimus ne in quo dispositionis hujusce diversitas sita sit? Quum obscurissimum sit pathologiae argumentum dispositionis variae pro contagiis subeundis in homine ipso caussas offerre, quo magis id erit tenendum, quum ad diversa referatur animalia!

Statuamus hinc potius legem generalem, ejusdem caussam penitus ignotam posthabentes, quum plane intelligamus, quod quaevis ejusdem theoria hodierno in scientiae statu solum hypotheseos speciem offerre possit. Quum enim tantum ad philosophicam curiositatem alendam phaenomeni explicatio inserviret, nec forsan, ad medicae scientiae exercitium, emolumenti afferret aliquid; sedula inquisitio legis a nobis statu-

tae ferax esse potest corolariis, quae in utilitatem medicinam facientium cedere possunt.

Cujus quidem rei ut unum tantum afferamus argumentum, eo solummodo recordari juvabit, quod ex theoremate posito deduxit, principio, pluries citatus Eques Val. Aolys. Brera: *Egli è ben vero,* inquit ille, *che si legge la storia di fierissime epidemie nelle quali perivano ed uomini, ed animali; ma tali epidemie erano piuttosto atmosferiche, che contagiose.*

XLIII.

Etsi contagiones eae, quae variis animalium speciebus communes sunt, dum ex una ad alteram transeant tum et quando nullam patiantur modificationem atque omnino similem gignant morbum (utpote in vaccino animadvertere datum est, quod quum e vaccaram mammis ad hominem, et viceversa dilabatur, aequales producit pustalas), nihilominus saepenumero valdopere modificantur, alios aquirunt characteres, alias proprietates, atque formis morbosis ansam praebent admodum diversis, juxta diversam animalium in quibus evolvuntur, organisationem.

Certum jam vero indubitatumque ex. gr. videtur, quod vaccinae variolae in vaccas propagentur ab eo equi morbo quem itali *Ghavardo,*

angli *Grease* compellant, sed quantopere ex migratione morbus modificatur! De canina rabie quae et ad alia animalia, et ad humanum genus dilabi potest, pariter dicunt quod, quando ad hominem delata fuerit inque ipso evoluta, ita modificetur ut sui propagandi amittat vim; quum nulla hominum exempla suppetant qui hydrophobiam aliis comunicaverint. Quod quidem, etsi minus certum haberi debeat (nam nunquam fere comprobatum quod hydrophobi homines alios homines, vel bruta morsu attingant, atque altera ex parte hydrophobiae hucdum valde obscura historia est); nihilotamensecius absque erroris metu adfirmari potest,quod plura contagia, quum e specie una ad aliam animalium deferantur, modificatas praesentent, queis donantur, proprietates.

XLIV.

Talia generatim de theoretice contagiorum cum retulerimus, finem eloquio imponere arbitramur; quum tamen nos ipsi perspicue agnoscamus quod manca imperfectaque pluribus de causis ipsa sit, quarum si haud exigua pars argumenti ipsius obscuritati ac difficultati tribuenda evadit, alia valde major infirmis nostris ex viribus repetenda est. Post illa tamen, quae in praefatiuncula, opu-

sculo praeposita, Lectoris submisimus benignitati, nil aliud nobis addendum superest; certi enim sumus quod etsi haud votis, quidquid scriptitavimus, Doctorum Hominum respondeant, id saltem nos ipsis, veritatis quo incendimur hauriendae amore, maxime commendabit. Quoad elucubrati postremo opusculi praetium, nos saltem solabitur illius sapientis sententia, quod: *in magnis et voluisse sat est.*



THESES DEFENDENDAE

I.

Metastasium theoria minime neganda, quum et ratione et factis comprobetur.

II.

Dum febris immaniter grassantis descriptionem meditemur, aequum est ut Hippocratis exemplo ducti, praegressam anni constitutionem ejusque intemperies, et qualitatum excessus prius expendamus; — WILLIS.

III.

Etenim morbi epidemici et communiter inter populum excitati erit causa communis, qualis anni habitudo et exinde contracta sanguinis nostri diathesis (qua pariter complures afficiuntur) assignanda (idem).

IV.

Evolutio facultatem intellectualium est in ratione directa cum cerebri massa.

V.

In diagnosi fere tota consistit medicina, nam juxta antiquorum sententiam: *Qui valet ad cognoscendum morbum, plerumque valet ad sanandum.*

VI.

Amor praecipua nevrosium feminarum causa, hominum ambitio.

VII.

Mentis facultates facilius a recto tramite aberrant in iis, qui ingenio praecellunt.

VIII.

Nulla datur in organismo solidorum perturbatio quin fluida perturbentur, et viceversa.

IX.

Humiditas calorque athmosphaerae excedentes pabulum hoc vitae in deleteriam potentiam frequentissime permutat.

X.

Progressus scientiarum omnium de die in diem medicinam extollunt;

XI.

Ea hinc medicinae est conditio ut incrementum nullum nisi tardum adipiscatur.

XII.

Mutationes temporum maxime parant morbos, et in temporibus magnae mutationes frigoris et caloris. — (Hippocr).

XIII.

Omnia secundum rationem facienti, si non secundum rationem fiant, non transire opportet ad aliud; manente eo, quod visum est ab initio. — (*Idem.*)

XIV.

Ad extremos morbos exacte extremae curationes optimae sunt.

XV.

Cave ne vires neges naturae medicatricis. Natura enim mortalium mater benefica, quae plus ac medicus in morborum curatione conferre videtur;

XVI.

Hinc vulgaris medicorum sententia: *Medicus naturae minister non arbiter.*